

DISPUTATIO
DE
SPONTANEO & INVITO.
PROOEMIUM.

Philosophia Moralis non immeritò audit Virtutum inda-
gatrix, Vitiolorum expultrix, affectuum moderatrix, ap-
petituum humanorum directrix, omnium actionum hu-
manarum excultrix, & Reipublicæ benè & feliciter ge-
rendæ & administrandæ fundatrix. Hæc enim est, quæ men-
tem & voluntatem ab omni *atque* liberat, hominem à pravis
affectibus & cupiditatibus purificat; siquidem perficit intelle-
ctum nostrum intelligentiâ, sapientiâ, arte & prudentiâ: Im-
buit voluntatem nostram virtutibus moralibus, ut id velit,
quod licitè & honestè possit: moderatur appetitus nostros, ut
id tantum appetant & desiderent, quod recta ratio ex virtutù
præscripto statuit & præscribit, nostros dirigit affectus, ut id
cupiant, quod virtuosum, æquum & justum. Hæc possumus ex
salebrosis vitiolorum labyrinthis & malitiosis affectibus & pra-
vis appetitibus ad regiam virtutis viam pervenire; hac evadi-
mus idonei ad Rempublicam feliciter gubernandam; hæc red-
dimur apti ad leges ferendas & explicandas, ad negotia, deli-
berationes, consilia. In hac jam præprimis doctrina de *Spon-
taneo & Invito* præ cæteris frugifera & fructuosua videtur,
quippe quæ fundamentum virtutis atque omnium totius vitæ
actionum, iudicii de iis ferendi appellari potest. Et sanè Phi-
losophi Moralis est, actiones hominum penitus paulò consi-
derare, cum per eas partim producantur virtutes, partim eti-
am ex virtutibus fluant. Sicut autem non ex quolibet ligno fit
Mercurius, ita nec ex quibusvis actionibus gignitur virtus, ne-
que etiam hæc cujuslibet generis actiones procreat, cum mis-
sis jam aliis requisitis ad eas cumprimis requiratur, ut sint
SPONTANÆ, non verò INVITÆ. Philosophus igitur
moralis naturam actionum satis perspectam habere non po-
test, nisi & cognitam habeat naturam SPONTANEI & INVI-
TI, & sciat hanc ex agentis scientiâ & internò principiò; il-
lam

A

lam